



# Disputatio medica inauguralis de empyemate

<https://hdl.handle.net/1874/345164>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**EMPYEMATE.**

*QVAM*  
FAVENTE TRI-UNO NUMINE  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JACOBI VALLAN,**

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, ac Nobilissimae  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè

ac legitimè consequendis,

*Publica disquisitioni subjicit*

**JOANNES DE WALL, AMSTELO-BAT.**

*Ad diem 19. OCTOB. horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc loc xci.

*Consultissimo Spectatissimoque VIRO,*

D. JOANNI HEYCOOP, J.U.D. Amstelodami rerum maritimarum prætori indefesso cognato sno summe hono-  
rando.

*Reverendis Pietate & Eruditione conspicuis Viris*

D. JOANNI OJERS,  
D. ADRIANO van WESEL,  
Ecclesiæ, quæ Christo Amstelodami Colligitur Pastoribus fidelissimis, fa-  
cundissimis, cum honoris cultu vene-  
randis.

D. PETRO de VRIES,  
gnaro gnavoque Pharmacopœo, multis  
rationibus amico.

*Hanc Disputationem inauguralement  
inserbit & consecrat*

JOANNES de WALL

Auct. & Resp.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
EMPYEMATE.

§. I.



On raro contingit, ut nomina tum morborum, tum aliarum rerum ambiguitatem continant; (de quo apud logicos & rhetoricos ex professo docetur) producantque sic sophisma & perversum de re conceptum, quod varie contingit, vel enim vox eadem plurium rerum significationem comprehendit, vel eadem res plurimis & diversis verbis exprimitur. Nonnunquam genus ponitur pro specie & contra: ut affectus soporosus pro apoplexia: & alvi fluxus pro diarrhae: è contra venenum & pestis pro quovis malo. Nos ergo pro Disputatio: ne Inaugurali de Empyemate tractaturi, quid per dictam vocem (satis alias ambiguam) intellectum volumus, antequam de re ipsa agamus, in antecessum explicabimus.

§. II. Empyema est vox ex duabus conflata nempe à præpositione εν in & nomine substantivo πύω pus (belgice etter) denotante, quæ iterum à themate πύω, putrefacio: quia pus à quadam materiae putrefactione, hoc est in substantiam pus dictam conversione, oritur.

§. III. Ex his patet Empyema esse collectionem puris, sed absque aliqua stipulatione partis in qua: sic apud varios auctores sumitur ex. gr. Hippocratem lib. 3. popul. sect. 3. de constitutione pestilenti nota mibi 30. Plurimis igitur abcessus ad suppurationem contigerunt: ubi in Græcis habetur ἡμπύωμα ξυπέπιτερον: Sic postea nota 44. qui quidem horum abcessum fecissent, per suppurationem aut per alvum solvebantur: Quo in loco habetur δέ τοῦ ἡμπύωματος.

§. IV. Dictum nomen aliquando fuisse generaliter sumptum, patet

## 4 D I S P U T A T I O M E D I C A

tet ergo tum ex his, tum ex Etymologia: usus tamen obtinuit, ut nunc tantum pro collectione puris in thoracis cavitate ab omnibus habetur: imo in pulmonibus, aliisque thoracis partibus suppuratione licet fiat; non tamen nuncupatur Empyema, nisi materia jam effusa.

§. V. Dicta in pectoris cavo collectio à quibusdam nominatur abscessus thoracis, suppuratione pectoris, collectio puris in cavo thoracis, ιππόνηα, διατίνηα, ἐμπίνηα, & apud nos belgas, etter of sweerting in de hollighryd van de voest.

§. VI. Talem morbum etiam nunc dari non eget probatione, cum adeo manifestum sit, ut tyrones medicinæ id sciant, adeo enim experientia & avitia in hoc frequens. Suo tempore sapius hunc vidit affectum Hipp. non enim alias dixisset, Aph. 27. lib. 6. qui pus thorace colligunt, si pus conservetur effluuerit, omnino morintur.

§. VII. In hoc ergo morbo locus affectus, pectus est: media scilla cavitas, quam costæ, vertebræ, Sternum, membrana pleura constituunt & claudunt: nobilis locus sane propter contenta, cor & pulmones, æsophagum, asperam arteriam &c.; quibus inservit continendo, conservando, motumque ad respirationem procurando, ac ita spiritus vitales (antiquis dictos) reficiendo.

§. VIII. Partem affectam esse (uti diximus §. 7.) pectoris cavum, ex observationibus liquet: sic Ab. Werner, apud Schenkium fol. 239. invenit totam mortui ex Empyemate studiosi cavitatem pectoris pure plenissimam, ita ut vix exigua portiunctula pulmonis videretur.

Et ne nimis in aliorum observationibus hærere videar (auctoriis relictis) addam unam ex propriis. Cum enim quinque annorum cujusdam curiosissimi fabri argentarii filiolam aperui, utramque cavitatem reperi pure repletam, adstante expertissimo medico D. Quina Amstelodami pratico felicissimo.

§. IX. Forsan alii, quibus plus otii ratiocinatione potius, quam observatis, vel ultraque via, probari vellent, partem affectam esse cavum thoracis; verum id forsitan incertum, saltem superfluum: ubi enim rerum testimonia adsunt non opus est verbis: si tamen iis delectatur quis, fluctuatio, pondus & quandoque extensio pro eo militant.

§. X. Videndum jam ex quibus cognoscitur Empyema. Quæ id indicant, signa medicis vocantur.

Illa autem affectum vel imminere ostendunt, vel eum jam esse præsentem manifestant.

§. XI.

## I N A U G U R A L I S.

§. XI. Imminentis vel futuri Empyematis signa ex variis fontibus sumuntur, imprimis à causis, & Symptomatibus quæ patitur æger.

§. XII. Causas quod attinet, si illæ præcesserint, ex quibus facile succedere potest Empyema, aut cuius vi in aliis sæpe excitatum fuisse constet: sane id metum incutit de affectu imminenti: quænam autem illæ causæ sunt in sequentibus explicabitur. §. 18. & 19.

§. XIII. Quo ad Symptoma, conqueruntur ægri de dolore lateris post pleuritidem & aliam pectoris inflammationem idoneis remediis non cedente, cum febri continua intensiore: rigor adest, qui antea non adfuit: respiratio difficultior: mutatio acuti doloris in pondus quoddam.

Conqueruntur etiam post anginam & cæteros morbos non perfecte Curatos, de respiratione difficultiori & cæteris, dictis symptomatibus.

§. XIV. Phænomena seu signa jam confirmatum empyema denotantia, majoris molis sunt: omnia jam dicta graviora proveniunt: tussis frequens vel potius tussiendi cupiditas nec tamen quicquam expuunt: ut *Hipp. prænotionum* f. 405. ed. *Corn.* dicit. *tussiendi promptitudo* adest & nihil memorabile expuunt & pag. 435. qui suppurrati sunt, maxime ex pleuride & peripneumonia nihil memoratu dignum expuunt. Quod & *Siegius* & alii confirmant: Pulsus rarius & P. N. frequenter: febris lenta partim putrida partim hectica, quæ exacerbatur horis vespertinis: languores ut *Willis* dicit pag. 119. partis 2. *pharmaceutices rational.* & tandem animi deliquia *Hipp. de locis in homine* fo. 76. *Corn.* vigiliae adsunt immoderatae & totius inquietudo; molestiam parit corporis commotio; gravitas pectoris sentitur, & fluctuatio materiæ: Appetitus est prostratus, nam cibos non appetit ut *Hipp. lib. prænot.* ait. sicq. totum corpus emaciatur, attamen sitis adest: sudores frequentes id est continuos, non semper copiosos exspecta, maxime etiam nocturnos, tamen inutiles id est sine levamine: tandem sæpe sputum proferunt purulentum, fætidum & saniosum ut *Card.* apud *Schank* fol. 238. observavit: oculi sunt cavi: maxillæ rubent, *Hipp. prænot.* fol. 405. *Riverius* addit tres horas a pastu: unguis curvantur: pedes tumescunt & circa corpus (*Riverius* circa pectus) pulsulae erumpunt *Hipp. prænot.* quo loco addit calorem digitis præcipue summis inesse.

§. XV. Aliquis fortasse mihi objiciet, me tot signa protulisse non

## 6 DISPUTATIO MEDICA

pathognomonica, sed potius communia: respondeo, nullum hic existere pathognomonicum: aggravatio autem dictorum Symptomatum sufficit: & omnia ista communia simul, aut plurima, si adsint, habentur pro pathognomonicō, quod & in aliis locum habere constat affectibus V. Gr. fractura cranii, cuius etiam nullum certum pathognomonicum, nisi plurima communia.

§. XVI. Non satis est signa attulisse, sed magnæ considerationis est, ut inter morbum & morbum ipsi cognatum differentia innoverescat: de ea autem sic agendum.

Confundi posset cum vomica pulmonis; ab ea vero differt, quod vomica sine febri & phlegmone, sine tussi immani & sputo, imo absque ulla suspicione & imminentis empyematis signis producatur; patiens quandoque ex improviso, rupta vomica, interimit. Will. & Tulp. obs. id non in Empyemate.

Ab hydrope pectoris difficile satis distinguitur, phænomena in multis concurrunt, attamen remissiora sed diuturniora ut Hipp. 2. de morbis ait & Rev. obs. 88. cent. 1. non ita post anginam, peri-pneumoniam vel pleurisin oriri solet; neque febris affligit Fern. parb. lib. v. c. xi.

A phthisi vix etiam dignosci potest, dum omnia Symptomata convenient, ni consideres absentiam ponderositatis & fluctuationis, ut & tempus durationis secundum Hipp. Sect. v. aph. 15. empyi qui intra quadraginta dies non expurgantur tabifici fiunt.

Quomodo ab apostemate diaphragmatis, lienis, Hepatis & ventriculi differat, video apud illos qui de iis ex professo scripsere, facile id sciunt, qui horum signa norunt.

§. XVII. In cura etiam magni momenti distinguere differentiam loci. (in quo sc. latere.) Si in uno latere vix decumbit æger, pondus pulsus premit mediastinum, tumque in altero est censendum esse empyema, calor in ægro latere sentitur, ideoque si calor & pondus in utroque latere sentitur, utrumque latus est affectum, aliquando dolet cum tangitur. Hippocrates jubet linteum madidum applicare, ubi citius siccabitur, ibi pus latet quia ut Hipp. aph. 39. S. 4. dicit quia in parte calor aut frigus, ea morbus latitat. ubi vero tumor appetet, sive sit in uno sive in utroque latere, ibi suspicio habebitur.

§. XVIII. Nunc ad causas progrediamur, causam enim scire est primus gradus ad sanitatem; proinde recte Galenus lib. 3. c. 1. de Comp. Med.

*Med. secundum loca : Medicus omnino admissus debet, ut sciat quæ, qualis & quanta sit causa, & ubi ea maxime dominetur, ut videlicet curationem convenientem unicuique faciat.*

§. XIX. Multæ dici possunt Empyematis causæ, sed vario respectu; ponamus aliquem plethoricum incidisse, ob frigidum potum post calefactionem, in pleuritidem, ex ea ob neglectam V.S. in Empyema, tunc sane plethora posset dici causa, posset & accusari pleuritis, posset & omissione venæ sectionis, potus frigidus, & *cæfatio*, non tamen (ut dictum) omnes eodem modo: hinc ergo causæ alia dicuntur internæ alia externæ, alia procatarrheticæ &c. de omnibus sic agere esset nimis prolixum, nec etiam necessarium, cum Empyema ut plurimum alias sequi solet affectiones, pleuritidem, anginam, vulnus &c. de quorum causis propriis capitibus tractant auctores, unanimiter eo redeuntes, ut accusentur plethora & cacochymia, cuius causæ res non naturales dictæ, præcipue si excessus in hisce contingat, quas in cura attingemus.

§. XX. Causa Empyematis hic maxime considerandæ, sunt antecedentes & conjunctæ: antecedens est morbus prægressus V. Gr. angina, phthisis, peripneumonia, vomica, vulnus vel alio modo vas vel vasa rupta &c.

Conjuncta causa est collectio puris in cavitate thoracis.

§. XXI. Causis & symptomatibus enarratis perfecte, dari potest definitio, quæ tum signa & causam includit. Dici ergo potest, quod Empyema (ut vox hodie sumitur) sit respiratio difficilis cum cupiditate tussiendi, expuitione quandoque purulenta, febri lenta, hectica & continua ponderositate supra diaphragma ex purulenta materia in cavo thoracis effusa, orta.

§. XXII. Pauci ea methodo definiunt Empyema, & potius dicunt simpliciter, est collectio puris in cavo thoracis: placuit tamen nobis hic signa maxime notatu digna & frequentia numerare loca unius pathognomici, quod in hoc morbo non dari dictum.

§. XXIII. Ut plurimum contingit, quod non contentus sit vulgaris, accedente medico, quamvis sese navare operam spondeat, sed exspectat, ut instar Dei eventum seu exitium morbi prædicat, in super ut tempus durationis, id est quo tempore longo sc. an breviori, & una quo modo morbus terminabitur, proponat: sane Medicus si modo sit attentus & prudens, multum hic posse efficere, famamque ipsius inde augeri, extra item habemus.

### 3 DISPUTATIO MEDICA

§. XXIV. Antea dividimus Empyema in imminens & consummatum, necesse est, ut ratione ordinis, prognostica primo imminentis, deinde consummati proferamus.

§. XXV. Ad prognostica imminentis Empyematis statuendum, si non curetur, aggravantibus symptomatibus, quotidie tandem in confirmatum deflectere.

Si ergo dicta symptomata dolor, tussis, febris &c. Vid. §. 12. idoneis remediis non cedant, signum est ex imminenti transire in praesens & consummatum.

§. XXVI. Cum nunc tandem ad pertinax genus mali sc. consummatum Empyema ordo nos duxit, videamus, quid de eo in prognosticis statuendum.

1. Empyema *ex se* in omni sexu ætate & cæteris circumstantiis censendum malum.

2. Ratione cause, Empyema à *Phibisi* ortum majoris est momenti, præcipue hæreditaria & consummata.

3. *Ab augina* non ita periculosum, ac à Phthisi.

4. *A peripneumonia* periculosius, facile enim in phthisin transit.

5. *A vulnere* ratione loci differt, si enim locum obtinet in qua paracentesis ponit solet, aut unde facilis evacuatio, minoris est periculi:

v. gr. si ad appendices diaphragmatis, inde enim facile evacuatur.

6. *Ratione partium* simul lærarum, pulmonum sc. vel mediastini vel æsophagi, majus periculum portendit, continuo enim nova etiam stillat materia in cavum pectoris.

7. *In Dispositione corporis* cacochemica habebitur deterius, quam in plethorica pura.

8. Quo urgentiora sunt *symptomata*, eo magis lethale: 1. si igitur tussis sit molesta adstante asthmate vel orthopnea, si febris non desierit: si animi languores & diliquia proveniunt malum.

11. Si ægri non quiescunt, vigiliæ adsunt, delirant & jactant corpus, ingentes dolores percipiunt, malo est.

111. Si nec sitiunt nec appetunt, corpus emaciatum sit in totum cum facie Hippocratica, narium flatus adsit, curationem intendere non opus est.

1v. Sudores frigidi circa caput, extremitates frigidæ, fætidum sputum & postea retentum, ut *Hipp. in coacis* ait; Empyici melius habentes, & qui fere expurgati videntur, si sputum fætidum excernant, cum recidiva

## I N A U G U R A L I S. ,

recidivæ intereunt: & si specillum à pure ut ab igne coloratur, inter funesta recitat signa: cum vero diarrhœa supervenit extra spem & mali eventus est curatio.

§. XXVII. Non solum ad prædicta, sed quo ad locum affectum erit prognosis: verum in sinistro latere est deterius ut *Riverius* testatur; sed præterea si in utroque latere simul, ut *Riverius Cap. de Empyemate* dicit, ad ætatem etiam, ut & temperamentum, tempus anni &c. est attendendum, ut secundum hæc cura instituatur vel relinquatur; ideoque si patiens præter fatalia signa jam observata sit decrepitus vel temperamenti frigidi & pituitosi, Hyberno tempore, periculum non solum in curatione, sed in vita est.

E contra si omnia melioris sint notæ; validis sc. viribus, non urgenteribus symptomatibus, si evacuatio sit satis copiosa, salus Sperari potest.

§. XXVIII. Vidimus eventum, tempus jam declarandum; solent enim non tantum quærere an evasurus sit æger, sed an diuturnum erit malum: respondemus, diuturnum plerumque esse Empyema, non tamen in omnibus æquè: alii ante quadragesimum diem, quod breve est liberantur, & hoc per Sputum, alioquin in tabem degenerat, ut noster ingeniosus observator apb. 15. Sect. 5. confirmat, quæ degeneratio iterum longum morbum indicat.

§. XXIX. Famam medico conciliat & utile, si prænoscat modum eventus: quo ad modum; ad salutem vel ad mortem terminatur.

Qui ad salutem; liberantur arte vel natura empyi:

1. Per anacardiarin quod apud *Gal. sexto de loc. aff. 4.* videtur.  
2. Per urinas apud *Gal. loco citato*, & quod *Clarissimus Med. Doct. Professor J. Munniks in dissertatione de Uriis pag. miki 73.* testatur; dicens: si pus conspiciatur in urina hominis Empyemate laborantis, bonum signum est, ac futuram sanitatem prænunciat.

3. Per alvum: ut *Hipp. lib. 2. de morb. Cap. de suppurato ex Empyemate*, refert: Sæpe (dicens) enim prorumpit ad alvum, & statim melius habere sibi videtur; ubi ab angusta ad ampliorem regionem devenerit. Explicatio horum, apud auctores ut *Sanctor &c.*

4. Per abscessum ut *Do. Tulpis* curiosissime recitat, de quadam sponsa liberata per apostemate subaxillari & postea apostemate circa umbilicum.

5. Tandem notum est Empyema curatum suisle aperatione thora-

B cis,

## 10 DISPUTATIO MEDICA

cis, quæ iterum natura vel arte producitur; sic natura refert Schenk.  
fo. 274. apertum fuisse pectus Pueruli, sola (tantum una vice) applicatione theriacæ, quod alias tamen rarissimum.

Si vero arte aperitur paracanthesis dicitur, cui & auctores abundantanter consentiunt: ut ex Fab. ab aqua pend. & ipso Sene Hippocrate constat; quam & nos sèpius vidimus.

Videamus nunc quo modo, terminetur ad mortem 1. per suffocationem Gal. 4. de locis aff. c. 7. inquit, quibus ob magnam puris copiam totus thorax in respiratione attollitur, celerrime suffocantur.

2. Per Sycopen pereunt: non raro pus ad cor delatum per Syncopen interficit: quod Hipp. videtur velle, dicens aph. 8. sct. 7. a tuberculi introrsum eruptione exolutio, vomitus & animi defectio gignitur, quod Heurnius elucidat exemplo cuiusdam pistoris, cui hepar in pus abierat & licet ex vomica rupta immediate per venam pulmonalem & in abscessu hepatis per cavam in cor irruit, siveque mortis causa sane ex Empyemate idem contingit, licet non adeo subito & vias adeo patentes.

3. Aliquando transit in tabem, si Empyema post quadragesimum diem non expurgetur ut dictum.

§. XXX. Habes quæ observata sunt in schola medica, sed erunt forte qui rogent modum, quo omnia illa producuntur.

Non dubitandum, quin ex morbis ante enumeratis Vid. §. 18, 19, anginâ & cæteris induci posset Empyema, hoc est collectio putris in cavitatem thoracis; cum tot observata id confirmant: sed tamen sunt nonnulli solliciti de viis, ad quod alii respondent recte, perspirabile esse Corpus, & si non patentes, faltem latentes plures esse vias, per quas angina &c. eo mittant.

Et ut hic aliquid de iis addamus. 1. Anginam vias querere statuo per asperam arteriam, & descendere in bronchia, unde quandoque si magna simul id fiat copia suffocetur æger, ad hoc pertinet aph. 10. sct. v. qui anginam effugiunt, iis in pulmonem vertitur, & intra septem dies intereunt, quos si evaserint suppurati sunt. Quandoque minori copia descendit, illicque hærens difficultem inducit respirationem, & exoneratur tandem per poros membranæ pulmonis in pectus: vel per vias efficitur aut ignotas aut mediântibus glandulis de quibus & statuitur in expositione catharrhi n. 4.

2. Quod ex peripneumonia & pleuritiide, intusrupto abscessu, contingit; pus eo dum ruit explicacione non egit.

3. A

3. A *Phtis* vero dupli modo fit , vel transudatione , ut de angina dictum , dum pori pulmones ob mollitatem & pondus puris adeo patuli sunt facti , ut facile transmittant id , ex quo Empyema efficitur , Secundo cum per acrimoniam puris pulmonum membrana adeo est exulcerata , ut commode illuc manare valeat ; de quibus dubitare nequit , qui injectiones amaras per vulnus pectoris injectas , tussi excretas novit : imo nisi fidem derogemus viris fide dignis & in praxi consummatis turundam per tuſsim ore rejectam , negligentia & obliuione chirurgi in vulnere relictam , ut Tulpus , & alii recitant .

4. Quomodo a *catarrho* materia in cavitate thoracis est congesta maxime & varie contendunt ; alii ob perspirabilitatem , vel latentes vias , dum omnia in corpore humano nondum sint cognita : & secus membranas descendere arguunt ; At lympham nunc in glandulis capitis & faucium Hærere , perque eas secerni , mox secretione illic suppressa vel cessante , materiam secerni in pectore aliisve locis non video quid obstet .

5. *Vas* quoquaque modo *ruptum* , dupli modo efficit suppurationem pectoris ; vel enim cadit immediate crux in capacitatem pectoris ex vulnere , vel mediante apostemate ante producto V. Gr. inter membranam pleuram & musculos intercostales .

Nunc videamus quomodo ex dicta causa , collectione sc. puris , recitata symptomata oriri debent .

*Tussis cupiditas* producitur , cum vel ipsum pus vel exhalationes acres a pure sætido ortæ pulmones & diaphragma & pleuram infestent & irritent .

*Febris continua* æque necesse sequitur , cum materia summe molesta partibusque Spiritui vitali dicatis proxima , per sanguinis etiam circulationem nonnullæ portiunculæ putridæ circumvehuntur , sanguinique permiscentur : & sic *lentam* & *putridam febrem* procurant : insuper exhalationes & nimius calor continuo cordis substantiam infestantes & exsiccantes *heaticam* producunt : *Vesperinae* sunt tamen 1. quia pleræque febres & morbi chronicæ instante nocte exacerbantur ; ratio quare , a cœli constitutione , Solis sc. absentia deducunt , sed id Philosophis relinquimus . 2. quia de die plus se movent , fatigant , & alimenta assumunt , sicque vesperi vires minores . 3. Ob somnum , tunc respiratio non ita fit , nec secretiones ; nihil evacuantur : omnes enim somnus supprimit excretiones ; sudore excepto :

hinc vero *languores* proveniunt, dum ex pravo sanguine non separantur apti Spiritus, quo ineptiores adhuc, eo magis animi deliquia hic redduntur, & quia febres illæ inordinatum & continuum motum sanguinis producunt, Spiritus animalis acrior generatur; quis jam non videt exinde oriri debere *vigilias*, dum continuo movetur sanguis in ordinatus, & Sp. continuo separantur acres, & stimulantes unde *deliria*: proinde labefactantur membra: nullibi decentes fiunt secretiones liquorum & sanguine, ideoque non in ventriculo menstruum, quis dico non percipiet hinc anorexiā seu *apetitum prostratum* produci? cum vero ex febri & acrimonia Humidum consumitur, & acris redditur sanguis & lympha, *Suis* maxime oritur. Quare nunc *corpus emaciatur* non eget longa explicatione, ex ante dictis satatis enim clarum, nec separatio menstrui ventriculi, nec preparatio, nec propulsio chyli, nec sanguificatio recte sit. Sudores in declinatione febrium succedere solent, cum febres hic, ut dictum vespertinæ, non mirum, si *nocturni Sudores*, ea declinante.

Debilitato corpore humores quidem deferuntur ad loca, ubi partibus apponi solent in nitritione: sed quia heterogeneæ non apponuntur, sed acriores, stimulant ad excretionem organa sudoris secretioni dicata, non mirum ergo si sine levamine.

*Oculi sunt cavi & tempora collabascunt, unguis curvantur, ratione penuriae succi alimentarii; sic enim musculis tum oculorum, tum digitorum consumptis, cute tantum teguntur ossa.*

*Digitorum apices infestantur calore, forsitan ob multa exilia vasa, ac proinde sanguis ibi pro tempore retinetur; saltem in infantibus pulsus illic percipitur vehemens, ubi vel minimum febrilis.*

*Maxilla rubent*, tres horas a pastu, quia post novum nutrimentum, major calesfactio totius fit, ideoque per consequens in maxillis rubedo, quæ proinde major ibi patet, quod Sp. animalis proprius terminatur ob multifarias & obstructas vias & raritatem cutis in maxillis.

*De pedis tumore*, nulla alia est ratio, quam visciditas ex non satis elaboratis succis progenita, & proinde imminutus calor, tandem cachexiæ & leucophlegmatiæ principium, in cuius affectus tractatione, illa ab auctoribus plenius explicantur.

In circumferentia vel circa pectus erumpunt *pustulae*, ob prænaturalē calorem & ob malam fermentationem in *Glandulis Subcutaneis*, continentibus viscidam & acrem lympham.

Sym-

Symptomatum explicationem per causas, quantum angustia charæ & scopus admittit, absolvimus; restat ut eadem methodo prognostica repetamus.

De imminentि, ex se satis clarum, cum gradu tantum differant *imminens* & consummatum Empyema §. 24.

1. Empyema ex sua natura malum esse, quis miratur, dum partes principes exinde patientur, imo corrumpuntur.

2. *A physti* ortum magnæ considerationis est, dum pulmones non facile permittant consolidationem ob continuum motum & raritatem ipsius substantiae: sicque continuo de novo fluit materia purulenta in cavum thoracis.

3. *Ab angina* non adeo malum, ac *a physti*, pulmones enim non ita affecti, ideoque Empyema ex physti ortum deterius.

4. *A peripneumonia* gravius vide §. 11. 4. 29. saepe etiam prius membrana pulmonum suppurata & exulcerata est.

5. Quod *de vulnere &c.* dicitur ex se satis clarum, ideoque explicationem omittimus.

6. Quod & de partibus simul lœsis dictum velim.

7. *In dispositione plethorica* non ita grave quam cacoehymica, quia facilis est tollere plethoram quam cacoehymiam, ex quibus tamen causis morbus fovetur, & puri suppeditatur materia.

8. Quo ad Symptomata, non mirum corpus labefactatur continuis infestationibus, sc. tussi, febri &c.

*Ægri non quiescunt, &c.* illa 1. ut causam consideramus, quia sic magis magisque debilitatur æger 2. ut signum, quia significat Spiritus & sanguinis defectum, acrimoniam & in ordinatum motum.

*De siti & appetitu* prostrato clarum, nam non sitire, ubi sitis caues adiungit, notat mentem laborare: non appetunt, quod menstruum, ut ante dictum non secernitur; deinde Spiritus animales deficiunt, & vere facultate prostrata: *Corporis emaciatio* sequitur chilificationem lœsam ut §. 25. in explicatione diagnostica ubi & de consumptione muscularum oculorum &c dictum: *narium flatus* significat diaphragma non libere, ut ante, moveri ob copiam materiæ &c; ut & aëri liberum accessum & recessum per pulmones denegatum, ut in asthmaticis & moribundis clarum, inde satis patet curationem intendere non opus esse.

*Sudores frigidi* malum, sic extremitatum frigiditas, quod ipsæ ani-

## 14 DISPUTATIO MEDICA

culæ norunt; significant enim sanguinis & succorum fermentationem & circulationem suffocatam: *Sputum fetidum*, specillum quod tingat, significat maximam materiæ corruptionem, a qua pulmones dum eos translat, afficiuntur; itidem & sanguis, dum portio ad eum desertur, de quo §. 25. n. 3. *Retinetur pus ob defectum virium*, vel materiæ crassitatem, vel vias non satis apertas, quod sane malum esse, (cum jam omnis curatio in evacuatione illius materiæ consistat,) quis non videt?

*Diarrheam* esse fastidiosam ex sequentibus satis notum; mox enim (ea apparente) sputum retinetur, quod in aphtis videre est, quæ *Diarrhæa* orta, evanescere solent: deinde nihil magis corpus debilitatum & succo nutritio spoliatum, debilitare potest.

Eis advenit propter serum forsan & pus acre ad intestina delatum, eaque stumulans, quæ jam debilitata & spiritibus succisque destituta, resistere & se se contrahere non possunt; ac proinde fluit alvus & hoc ideoque lethale.

*In sinistro latere* diximus deterius esse dextro; mucro & sinister ventriculus cordis in promptu afficiuntur in sinistro latere: e contra in dextro commodius coquitur, maturatur & expellitur materia ob calorem hepatis, ut & quod diaphragma altius elevetur.

Quid de anni tempore ætate &c sit sentiendum ex supra dictis facile intelligi potest Vid. §. 26.

Quis nunc ex *meliорibus notis*, blandioribus sc. Symptomatibus non hauriret bonum prognosticum, dum ex eis constat vires magis esse valentes, & facultates & actiones minus depravatas.

Quantum vero ad *tempus durationis* pertinet, malum breve dici potest, & sic, si intra quadraginta dies expurgabitur: si extenditur extra illos dies, solet degenerari in phytisin, laeduntur enim pulmones. Morbi extra 40. diem extensi medicis chronicis id est longi nuncupantur.

Tandem *modum eventus*, quæ est vel ad salutem, vel ad mortem, attingemus: & primo quidem ad salutem, quod variis modis fit.

1. Diximus terminari per anacathasin, viam maxime commodam, fitqne cum tussiendo pus in pulmones excipitur & ita expellitur.

2. Vel per urinas.

3. Per alvum.

4. Per abscessum: Vid. §. 28. explicatio omnium horum, siulla, medico difficilis; attamen ratio quidem docet, nullis aliis viis, quam circu-

circulatione effici posse: quomodo vero materia talis cor transfire possit, absque interitu, & extremo vitæ die patientis, curiosis relinquimus.

Contigisse solutionem per sputum *Bened. Sylvat.* annotavit, pag. 154. de quadam paciente quotidie extussiente octo libras & supra purulenta materia, & eo modo sanata spatio quadraginta dierum.

*Per urinas* testatur *Schenkius* fol. mihi 240. fieri ut & per alvum & *abcessum*, vide & ego in sene aliquod annos infestato; si in urina observabatur materia purulenta, melior, si vero non, anxius egit vitam.

§. *Per paracenthesis*, vel perforationem, id est apertioñem, quo-cunque modo fiat, facile explicatur: per vulnus enim educitur materia: injici possunt detergentia & consolidantia &c. ut in curatione patebit.

*Ad mortem* vero terminatur, 1. *Suffocatione* dum materia nimis in copia, in thoracis cavitate contenta prohibet extensionem pulmonis: ita ut dempto etiam diaphragmatis motu & exinde respiratione (sine qua homo ne momento vivere potest) suffocatur.

2. Dum portio puris nimis crassi & fætidi ad cor delata, ejus motum sanguinisque elaborationem turbat, retardat, motusque cordis convulsivos excitat; tandem sanguinem coagulat, saltem motui ineptum reddit, cuius motu in corde & è corde prohibito necessario æger per *Syncopen* vitæ ultimum terminum accersit.

Dum à pure pulmones corrupti consolidationem vix aut potius non admittant; ut ante §. 29. n. 2. de phthisi dictum, sensim fætoribus &c. ægri extinguuntur.

§. XXXI. Sicque vidimus ut ex dicta causa, omnia illa phæno-mena sequuntur, cave tamen ne ullum phænomenum neges, licet mea explicatio non sufficiat, eorum enim veritas non in explicatione, sed observatione consistit, nec ignoratio tē diota tollit tē òss.

§. XXXII. Delibatis præmissis, quantum ad explicationem em-pyematis duximus necesse, ad curationem properamus, ut pensum ab-solvatur.

Curatio rationalis debet omnia auferre enarrata Symptomata, idque non per imitationem exemplum aut analogiam, sed per indicationem, hoc est, certum scopum.

Illa vero indicatio hic est tollere causam omnium dictorum sym-ptomatum.

Causa

Causa est in imminente, materia in cavum thoracis fluens aut hæren্স putrefactionem minans: in consummato pus in cavo thoracis collectum, quod nemo negabit; id enim ante probatum.

§. XXXIII. In imminentis cura scopus seu indicatio erit curare, ne ulla materia in cavitatem pectoris fluat, putrefact aut putrida deferatur.

§. XXXIV. Primum præstatur, si omnis materiæ illic præter naturam fluentis effusio impeditatur, hæren্সque jam auferatur, sive sit sanguis ex vulnera sive pituita &c.

Id autem fieri nequit, nisi impeditatur dicta depositio: id ergo impeditur in schola medica revellere vocatur: hoc hic primo indicatur seu postulatur: hic erit scopus; hæc intentio.

Revellere dicimus, ubi materiam ad aliquam partem ruuentem illinc deducimus, & aliorum ducimus, etiam extra corpus: v. gr., dum partem remotam aliquam ita irritamus, ut fluxus, non in locum de quo metus sit, ut decumbet, sed in aliud potius deponatur.

Inter revulsiones ergo frictioes dolorificæ, ligaturæ cucurbitulæ siccæ imo & scarificatæ: revellimus etiam dum evacuamus seu educimus humores, metum alias de fluxu incutientes: Huc V. S. cucurbitulæ scarificatæ, vesicatoria, imo & purgationes &c. pertinent; de quibus prolixius in institutionibus: hanc revulsionem natura sine dubio medicos docuit: unum hic tantum proferam exemplum ex *Marcello apud Schenk.* ubi pulchre ille: certe non minus admirandum pleuritides quasdam per urinas aliquando integræ judicatas ac solutas; quod nos in olitore quodam observavimus, cui sanguis multus per urinæ vias effluens, illum à sæva pleuritide, quæ jam miserum hominem in orci fauces traxerat, liberavit.

Hæc ergo, in imminente empyemate, revulsio instituenda: proportione morbi, causæ morbificæ, symptomatum, naturæ, ætatis ægri, cæterarumque circumstantiarum.

Unum hic addo, maxime notandum in praxi, sc. requiri summam prudentiam, & attentionem, si enim æger jam ante, vel dum angina vel pleuritide corruptus fuit, plures sustulit evacuationes, revulsiones non adeo celebrandas, ac in aliis.

§. XXXV. Diximus materiæ depositionem impediti, cum aliorum ducatur, & per alias vias evacuatur: super est ut videamus, quis sit scopus, ubi materia jam deposita & hærens, in cavo pectoris, nondum

nondum tamen putrida: v. gr. sanguis, ex vulnere in superiori pectoris parte, quæritur dico quæ hic indicatio? nulla alia, quam ut putredo impediatur & ea auferatur.

Ut putredo impeditur statim dicemus: primo ut auferatur tractantes. Rogatur ergo quomodo auferenda? per quas vias?

Vias hic si consideremus, facile patet nullas dari patentes, per quas è cavo thoracis evacuari possit.

Experientia tamen docuit, sæpius per sputum evacuationem fuisse institutam, materiae nempe vel non putridæ vel putridæ, Vid. Schenkium fol. 231. & 232. De modo quo per poros pulmonum cogitur: actum §. 29. n. 1.

Tentandum itaque, ut materia per dictam viam evacuetur: medicamenta quæ id præstant bechica vocantur.

§. XXXVI. Obesse potest huic evacuationi materiae vel crassities vel tenuitas, nedicam de viis nimis clausis.

§. XXXVII. Si materiae crassities obest; scopus erit incidere & attenuare per incidentia & attenuantia, in institutionibus pectoralia calida dicta; (quibus addi possunt incidentia à neotericis in usum medicum inducta) qualia sunt, rad. angelicæ, arist. utriusque heleni, irios, fol. Capill. V. betonicæ, Card. b. fænic. hyssop. flor. camom., croci, baccæ laur. sem. anisi, fænicul. nasturtii, flor. sulph. &c. & composita ex his & aliis, ut aquæ, Syrupi & pulveres imo & acida ut oximel. Simpl. & scillit. spiritus sulphuris, nitri, tartar. vitriol. ut & dulcificatum, sal. prunel. &c.

§. XXXVIII. Si vero tenuitas obest, quod ex materia rejectæ conditione, aliisque signis cognoscitur scopus est incrassare, quod incrassantia efficiunt; ut rad. liquirit. symphyt. fol. malvæ altheæ, violariæ, flor. nymphæ, violar., papaveris rhead. alb., amygd., dactyli, jujub. sebest. passulæ maj. &c. sem. frigid. maj. & ex his composita: species diatragacanth. frig., in summa etiam illa, quæ Chimicis terrea crassa cum sale volatil., appellantur, ut c. c. pp., ras. ebor., unicornu, margaretæ, bezoar. or. & occid., oc. c. & pp., & ejus magisterium.

§. XXXIX. Etiam, à pectoris morbis similibus, v. gr. sero in ejus cavitatem effuso, nonnulli liberati sunt per alvi fluxum, urinas, imo sudores, & ut ante diximus per abscessus.

Per illas vias etiam præparata materia evacuari potest, monendo tamen, quod in pectoris morbis per alvum evacuatio non adeo tuta

C effe

## 18 DISPUTATIO MEDICA

esse solet: diarrhæa enim superveniens malum diximus: §. 25. *infine.*

§. XL. Quod si per illas vias non succedat evacuatio & tamen cognoscitur in pectoris cavo materiam hærente putrefactionem minantem, v. gr. sanguinem, ex vulnere in superiori pectoris parte, quale vidimus; paracenthesis institui debet maturè de qua in seq. §. 49.

Prohibetur optime putredo ablata materia, de cuius remotione jam dictum: verum ubi id tentatur per bechica &c. tempus requiritur; cogitandum ergo, ut interim quantum possibile putrefactio prohibeatur; fitque per vulneraria: ut rad. tormentillæ, bistortæ, galangæ, consolidæ utriusque, aristolochiæ, salsa, chinæ, liquiritiæ, ligni sancti, Sassafras: Herb. alchymillæ, saniculi, verbenæ, agrimonæ, solid. farac., betonic. pimpinel. card. b. serpentar. summit. centaurii min. &c. oc. c. mumiæ, tart. vitr. ex quibus comp. ut 12. rad. symphyt. 3ij. herb. alchymil. pyrolæ, saniculæ, agrimon. capill. ven. an. Mj. coq. ad itij. in aq. pura adde Syr. de symphyt. fern. 3j. vel decoct. salsa. & chinæ, vel 12. oc. c. præp. rabarb. opt. sem. nasturt. mumiæ, spermat. ceti an. 3j. misc. dosis 3j.

§. XLI. Restat tertio circa imminentia: ut cura sit ne materia jam putrida maxime in loco vicino, ad cavum thoracis deferatur.

§. XLII. Deferri potest 1. post pleuritidem tam veram quam notam suppuratam, curare si velis, ne id fiat, attende, ut abscessu cito ad maturationem deducto ad interiora rumpatur: quod efficitur maxime topicis, imo & apertione in tempore, de quibus topicis cap. de pleuritide & empyemate auctores exhibent formulas fotuum, cataplasmatum &c. de quibus illos consule.

2. Post catharrhum delatam materiam putridam, in cavum pectoris non memini me vel vidisse vel legisse.

3. Neque etiam post anginam:

4. E pulmonibus putrida non potest deferri, nisi ulcere in iis hærente; non ergo curatur, nisi pulmonum ulcere prius curato: de quo capite de phthisi auctores & nos pauca §. 29. nota 3.

§. XLIII. Sequitur jam curatio empyematis presentis & confirmati.

Scopus seu indicatio hic est tollere materiam putridam in cavo thoracis hærentem, omnium dictorum symptomatum causam.

§. XLIV. Ante satis dictum, hic nullas patentes dari vias: quandoque tamen ea contigisse per sputa, urinas &c. §. 29. ostensum.

Tentandum ergo an arte id possit per tussim, de quibus cum proxime ante actum, nihil addo, conser §.

§. XLV.

§. XLV. Quoad evacuationem per urinas; in illa evacuatione, hic non multum spei collocandum, cum rarius successus respondeat: attamen blandioribus diureticis (principue si natura eo declinat) tentari potest. plur. §. 29.

§. XLVI. Per alvum infidelior est cura, ut ante dicitur attamen laxantia in hac seu purgantia blandiora conducere possunt: si sc. secundum crassitatem & tenuitatem materie præscribantur; ex. gr. polypod, manna, cassia fist., pruna tam dulcia quam acida, succus ros. pallidar, tartar & ejus cremor & cristal., tartar vitriol, & quoque dulcif &c & ex his composita.

§. XLVII. Per abscessus ~~perdentes~~ factos, tantum observandum, ne claudantur aut consolidentur, nisi materia bene & in totum translata & exonerata.

§. XLVIII. Sed præter dictos modos, natura ostendit aliquando locum in latere thoracis, ut ex Schenckio annotavimus Vid. §. 28. & nos vidimus non semel utrumque vel unum latus extra modum protuberans, per artem apertum; & grumque hac via restitutum.

§. XLIX. Attamen cum protuberantia illa rarer, etiam ea non apparente, arte eligitur locus aptus intra tertiam & quartam costam, ab infra sursum numerando, & quidem in spatio a sterno ad vertebrae tertiam partem retrorsum, proprius inferiori costæ, ne sinus ille longitudinalis, quo omnes costæ sunt præditæ, quorum quisque etiam condit venam arteriam & nervum, tangatur; ut etiam apud varios auctores monetur, ubi & plures haud contempnende cautions, v. gr. ne pus simul & confertim effluat, sed partitis vicibus emittratur, ne debilitatur aut moriatur æger; quales cautions sæpe suis in lectionibus Chirurgicis monuit clarissimus D. Fred. Ruyshius Med. Doctor & Anatomiae, Chirurgiae ac Botanices, Amstelodami Professor.

§. L. Non tamen paracenthesis instituitur eodem modo; antiqui ustionem usurpavere, ut Aphorismo 44. Sect. 7. videtur, ubi Suppurati cum urantur aut secantur &c: sane ustione curarunt desperatos antiqui: ut ex Hippocate, Paulo &c videre est. At accurata ejus methodi descriptio & explicatio præcipue Hippocratior usitat temporis injuria periit: Paulus, Mercurialis & alii nonnulla de iis notant. Audivimus nos aliquando in auditorio chirurgico de hac operatione prolixius prælegentem eruditissimum Dominum Petrum Bernagie, cui Studia nostra Medica multum debent.

2. Terebra etiam adhibuere, cuius usus hodie est obsoletus, tam  
men curiosus ex Hipp. lib. de internis affectionibus methodum expe-  
tere posset, ubi legitur: *intellecto, sc. abscessu, costam tertiam* (vera-  
rum sc., quod Vigierius consentit: dicens, locus autem sæpiissime  
sese inter tertiam & quartam verarum costarum offert.) ab ultima usque  
ad os secato, deinde cum terebra cava ultra perforato & sic porro:  
ratio quare illa utebantur, videtur quod terebra apertio rotunda fa-  
cta, melius linteo carpto vel turunda obturaretur; ut H. Fab. ab  
*aqua* explicat: addo quod fortasse vulnus cum denudatione ossis  
factum, non adeo cito curatur, ideoque pectus certius exoneratum  
fuit: sed transeamus nos ad hodiernam methodum: nempe quod  
fiat

3. Per incisionem, quæ fida manu instituta ægris raptim non ra-  
ro auxilium suppeditat: illa vero fit Scalpello vel, alio modo facto,  
incisorio; loco intra tertiam & quartam costam cum cautela §. 48.  
recitata: at si de incisione & ejus dolore abhorreat æger, præmittitur,  
illi loco, cauterium potentiale.

§. LI. Ad curam nunc ulterius producendam post eductionem  
alicujus partis materiæ purulentæ e cavo thoracis, per Syringam fiat  
injectio ut materia si nimis viscidæ diluatur, temperetur & corrigatur;  
cum qua injectione, tussiente ægro, pus per vulnus effluere solet;  
tales injectiones ex variis componi possunt. Ex. Gr.

R. Aq. hordei 3x.  
Mellis Rosar. 3ij.  
M.

Vel

R. Aq. hordei. 3viii.  
Vini alb. Gall. 3ij.  
Mell. Chelidon. 3ij.  
M.

Vel

R. Rad. Consol. major  
Aristol longe an. 5ß.  
Herb. Sanicul. mj.  
Fior. Hyper.  
Centaurii minor an. mß.  
Coq. ex aq. Herd. ad pi. cui

Adde

*Addit Mell. apii 3ij.*

*Aloes pulv.*

*Mirrhæ pulv. an. 3j.*

*Vini albi 3ij. Misce.*

§. LIII. Interim interna medicamenta, quæ pus per sputum educunt, humoresque corrigunt & temperant, minime negligenda, decocta vulneraria dicta & bechica, quorum formulas omittimus ne nimis protrahatur disputatio.

§. LIII. Sed frustra medicamenta ægro mederi valentia præscribuntur; si in diæta sit negligens; illa ergo ad dictas indicationes disponatur.

De qua prolixius agendum, ni nimis jam fusa hæc esset dissertatio: pauca ergo hic de diæta.

1. In revulsione materiæ fluentis.

2. In evacuatione materiæ nondum putridæ, sed putredinem minantis in resolutione.

3. In jam putridæ fluxus ad interiora inhibitione.

4. In putridæ materiæ, e cavo thoracis evacuatione per sputum, urinas, alvum, abscessus, paracentesis: Ex gr. si aer in revulsionis indicatione, nimis esset calidus emendetur; cibus & potus ne nimis sit calidus & tenuis: sicque de cæteris non naturalibus, quod facile jam addi potest.

In materiæ jam hærentis in cavo pectoris, non tamen putridæ resolutione, diæta antecedenti sit contraria, sc. aër ad calidum magis declinet, sic & cibus & potus exhibeantur urinas sudoresque moventes: exercitia moderata ne intermittentur, &c.

§. LIV. Cætera ex prædictis jam facile colliguntur.

Ordo exegisset, ut & de symptomatum curatione saltem lenitione ageremus, v. gr. si sitis intensior, si diarrhæa &c. verum angustia chartæ prohibuit; etiam satis patet, quid agendum, modo attendamus ad circumstantias omnes, solentque etiam auëtores in iis esse prolixiores.

§. LV. Sicque quod de empyemate proponere mens erat, breviter traditum, restat jam ut de cura præservatoria aliiquid addam, (facile enim liberati recidivam patiuntur) consistit diæta cura in eo, ut causæ empyematis, de quibus egimus, in antecessum, vitentur, scilicet morbus prægressus, pleurisis, angina &c. quorum morborum causas

cum auctoribus diximus cacochymiam & plethoram , qui iterum inducuntur ab abusu sex rerum non naturalium , de quibus satis in schola medica agitur , & nos paucis egimus : Secundo , ut partes omnes thoracis roborentur : quod à diæta petendum , si illa non sufficiat , adde medicamenta bechica confortantia dicta : laudantur & subadstringentia .

---

## C O R O L L A R I A .

### I.

*Succum pancreaticum acidum , vel non acidum esse , exercitii gratia ab utraque parte defendimus .*

### I I.

*Idem de menstruo ventriculi sit dictum , quamvis non abhorremus ab eorum sententia , qui subacidum statuunt .*

## F I N I S .